

Romani literis vieturis tradidere posteris ; replicanti monu-
menta ultra desiderium apparebit, in primâ statim Reipubl. Ro-
manæ ætate sepulchra religiosa semper & inviolabilia fuisse æsti-
mata. Tarquinium enim Prisci Tarquinii Nepotem septimum
Romanorum Regem, præter cætera Regibus inusitata , quibus
omnem recti iustique legem conculcasse visus est, facinora , ea
propter quoque, quod sacerum suum sepelire prohibuerit , Su-
perbi nomine insignitum cum Livio testatur *Forsterus bift. Rom.*
lib. 1. cap. 12. Nec minus sepulchrorum religionem arguit Augu-
sti summi Monarchæ interdictum , quô ad evitandam sepulchri
sui violationem Julianum stupris nobilem in eô humari vetabat.
Leges demum quam plurimæ , quas ad religionem sepulchro-
rum servandam sancivere Romani, teste *Cicerone lib. 2. de LL.* id
affatiū testantur. Quantâ insuper Prætori vel alii , qui Juris-
dictioni præerat , semper asserta fuerit authoritas, alia juris no-
strī monstrant loca. Ut vocatus ab eô ex quacunqve causa ple-
num ipsi obsequium præstandò in jus venire necesse haberet, nisi
competentem pro Jurisdictione Jus dicentis multam incurrere
voluerit. Singulari tamen gaudent Privilegio justa mortuo non
modo facientes , sed etiam cadaver ad sepulchrum prosequen-
tes , ut ipsi in Jus vocati prætorio penitus prohibeantur edicto,
quô in Jus vocantes pænale 50. aureorum dare pollicetur Prætor
judicium l. 2. & l. pen. π. de in Jus vocando. Hic sanè inter alias,
qua Prætorem ad concedendam illam immunitatem commove-
rationes , & actus religioni nihil non censuerim tribuendum.
Religioni etiam sepulchri adscribere velim , quod in Nobilium
præprimis sepulchris lampades sapissimè accensæ reperiantur ,
oleo vel ejusmodi apparatæ liquore , ut perpetuum alere pos-
sint ignem. Sicut de tali sepulchro Patavii reperto ex Apiano
Mathematico testatur *Tiber. Decian. tract. crim. lib. 6. c. 49. n. 24.*
Egregium quoque hujus rei vestigium habemus in l. 44. π. de
manum : *Testam. ubi libertas in testamento sub eâ conditione ali-*
quibus relicta , ut in monumento Testatoris alternis mensibus
lucernam accendant , & solemnia mortis peragant Ex his itaque
& aliis quā plurimis in scrinio juris nostri repositis patescit
fundamentis , religionem à sepulchro vix separabilem plura &
maxima secum trahere jura.

X. Pro-